



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 1. An justitia particularis sit specialis virtus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

publica persona solvit sibi, quâ privata, & persona tutoris sibi solvit, ut v. g. Petro. *Hæc Responso*

NON SATISFACIT. Quia per illos, qui desiderat sibi solvere alium, non facit actum iustitiam, nec potest illic subdividi persona desiderantis, in personam cui est solvendum: Ergone in præsentem dabitur talis subdivisio, idque in principis illorum. *Hinc aliter*

RESPONDETUR 2. Quod si aliquis Tutor, vel Thesaurarius faciat id, motivo boni proprii, non sit facturus actum formalem iustitiæ. Si autem id faciat ex proprio motivo illius virtutis, faciet actum iustitiæ, qui habebit alteritatem, non in ipso satisfaciente, sed in eo, cuius nomine facit, & cuius obligatio est sua moraliter. Sed denominabitur, & ipse sibi iustus? Videtur denominandus. Ratio, quia in primis non facit id nomine proprio, sed nomine residuo à se communitatis, quæ sufficientem alteritatem habet ab illo, prout privato: facitque idem Tutor, non nomine proprio, sed nomine Clientis, inter clientem autem, & ipsum, sufficiens reperitur alteritas. Quando autem desiderat sibi satisfieri ab alio, non id desiderat nomine alieno, sed proprio.

Ex alio etiam capite, posset dici, sibi ipsi esse iustus: quia si non intelligatur cessisse juri proprio, tenetur sibi satisfacere; est ergo in eo obligatio debiti, & solutionis, qualis non est, cum desiderat sibi solvi ab alio.

Quod autem sit in eo obligatio debiti & solutionis, sic explicari posset. Quia hæc Major certa est. Tutor obligatur ex iustitia satisfacere nomine clientis, idemque proportionaliter applicari debet, ad Thesaurarium. Ergo nisi ipse voluntaria cessione, eximat se, ab illa Majori, includetur in illa. Ergo etiam & sibi, quia creditor est, nisi jure suo cedat, debet satisfacere ex iustitia. Quod autem illa universalis sit vera. Probat. Quia, cliens obligatur ex iustitia satisfacere omnibus, nisi jure suo cedant. Ergo & tutor, cum eandem moraliter personam constituat cum suo cliente? & quia tota obligatio tutoris, pendet ad obligationem clientis, cuius obligatio est sua moraliter, sit, ut cui est obligatus ex iustitia tutor, adeoque & sibi. Quia tamen hic, qui dicitur esse iustus, supponitur habere propriam obligationem, nec esse moraliter alius, ratione nominis, scilicet ejus, cuius nomine satisfacit; sit, ut cum hoc in tutore & thesaurario non reperitur, non dicantur sibi ipsis iusti. Hinc dici potest, conformiter ad superiora, quod non sit sibi iustus: quia licet rationes adlatæ teneant, usurpatio tamen vocis, iustus, hoc sensu non procedit; cum, etiamsi sibi non solveret, non foret iniustus: nemo enim volens injuriam patitur.

SECUNDA INSTANTIA est. Unus idemque replicetur, occurrat sibi, & impingat colaphum,

se percutiens: poterit deprecari se percussum, & quidem ex iustitia. Ergo iustitia non requirit alteritatem.

RESPONDETUR conformiter ad dicta in Philosophia. Quod, replicatus seipsum percute possit. Quod attinet ad hoc, an seipsum ex iustitia deprecaturus sit? duo quæri possunt. An illum actum possit facere ex motivo iustitiæ? &, an sibi sit futurus iustus? Quoad primum; poterit se deprecari ex motivo honestatis, quæ est compensandi bono, malum: eritque actus hic, ad alterum, æquivalenter, adeoque, actus iustitiæ æquivalenter. Sed eritne sibi iustus? consequenter ad dicta superius; non erit sibi iustus: quia hoc nomen, iustus, applicatum est ad reddendum debitum formale, ad jus formale, ita, ut scilicet debitum, non sit jus, & è converso. In præsentem autem debens, est formaliter habens jus, & è converso.

TERTIA INSTANTIA est. Quod, Christus satisfaciens pro peccatis ex iustitia, non solum Patri & Spiritui Sancto, sed etiam Sibi: & tamen quoad se, sine ulla alteritate. Ergo apparet, quod ad iustitiam alteritas non requiratur.

RESPONDETUR. Sicut dictum supra in simili. Christum ex motivo æqualitatis potuisse ponere suam satisfactionem, quæ respiceret alteritatem, non satisfactionis, & cui satisfecit, sed alteritatem obligati, & ejus, cui obligabatur: non fuisse tamen sibi ipsi iustum: quia hæc vox supponit, pro distinctione ipsiusmet satisfaciens, &, ejus cui satisfecit. Addo, quod satisfactio facta à Christo, elicitive pendebat à natura humana, quæ habebat alteritatem à Persona Verbi, cui satisfecbat, licet dignificative, penderet à Persona Verbi. Sed de hoc in 3. Parte.

Quando autem urgetur. Quod omnis virtus sit bonum habentis. Ergo si iustitia est virtus, non est ad alterum. Non convincit. Omnis enim virtus ex ratione sua generica, est bonum habentis: hinc, & iustitia ex ratione sua generica, est bonum habentis: decorat enim habentem, quod neminem injuriet; licet virtus secundum suam rationem differentialem ultimo, possit esse aliqua, bonum alius.

DIFFICULTAS III.

De reliquis Prædictis Iustitiæ.

Imprimis, quærendum erit: An iustitia sit virtus particularis? Deinde, an sit præstantissima virtus?

Punctum Difficultatis 1.

An Iustitia Particularis, sit Specialis virtus?

Indubiè, iustitia, si non sumatur pro virtute cardinali, non est virtus specialis. Ratio, quia

* B

3

& c.

& esset specialis virtus, & non esset; esset quidem, ut supponitur; non esset autem: quia iustitia, prout contraponitur virtuti cardinali, est complexio omnium virtutum, complexio autem omnium virtutum, non est una virtus; sicut decem, non est unitas numeri: adeoque, nec virtus specialis: hæc enim duo pro eodem supponunt: Cæterum

DICENDUM. Iustitia, si sumatur pro virtute cardinali, in quantum supponit pro iustitia particulari, est specialis.

Antequam probetur Conclusio:

Explicanda est vis vocis. Ly, Iustitia particularis, quæ ex S. Th. hic q. 58. a. 5. cum opposito sibi membro, quod est iustitia Legalis, habito fundamento in Arist. 5. Eth. c. 1. & 2. sic explicari potest. Iustitia est virtus ad alterum, ut dictum supra, si est virtus ad alterum, quot modi sunt alteritatis, tot etiam erunt & virtutis ad alterum, seu iustitiæ. Quia verò modus alteritatis, est considerare alterum, vel tanquam singularem, vel considerare, prout alter supponit pro tota communitate; hinc fit, ut iustitia extendat se ad alterum singulariter, & ad alterum communiter, seu, secundum quod communitas est. Et quidem incipiendo explicationem ab hac extensione iustitiae ad alterum, quod alterum, communitas est. Illa sic proponitur.

Omnis communitas habet se sicut totum: si enim non haberet se ut totum, hoc ipso non esset cum aliis unitas; adeoque communitas, sed mera solitudo, unitas uniter, non communiter. Si communitas habet se sicut totum, inclusi in communitate habebunt se, sicut partes totius; si enim non se haberent ut partes, hoc ipso nec illud aliud haberet se ut totum; cum totum confurgat ex nexu, & ordine partium. Quod si singuli illius communitatis, habent se sicut partes, fit, ut sicut partes sunt totius, ita & bonum partium, sit bonum totius: quæ enim est proportio partis ad totum, eadem est proportio boni partis, ad bonum totius; hinc ordo ad illud bonum totius, erit ordo ad bonum communitatis. Quia verò hic ordo, si ponatur, est bonum actuale potentiae, debuit dari principium, in ordine ad ponendum tale actuale bonum. Et quia hoc principium erit perfectio potentiae, hoc principium debuit esse virtus: & quia hæc virtus respicere debet, ut dictum, aliud, tanquam communitatem & generalitatem, debuit dari virtus ad alterum, seu iustitia generalis. Et quia inquit S. Th. ad legem pertinet, ordinare in bonum commune, inde est, quod talis iustitia prædicto modo generalis, dicatur iustitia legalis: quia scilicet per eam homo concordat legi, ordinanti actus virtutum omnium in bonum commune. Quod autem attinet ad alterum membrum, quod est, iustitia particularis, ex dictis colligitur, quod cum actualis ordo ad bonum alterius particula-

ris, sit bonum actuale, debuit illius dari aliquod principium, quod indubie erit perfectio potentiae, ad alterum, adeoque virtus iustitiæ, quæ attendens ad bonum singularis, & particularis, bene appellari potest iustitia Particularis.

Hæc explicatione vocum; Ly iustitia Particularis, & Ly iustitia Generalis, posita.

PROBATUR 1. Conclusio. Illa est, ex communi acceptione, virtus specialis, quæ habet motivum suum speciale. Sed, ut infra probabitur, iustitia cardinalis habet suum motivum speciale. Ergo.

PROBATUR 2. Si iustitia cardinalis non esset virtus specialis, nec illi conveniret esse iustitiam particularem. Sequela probatur, quia ex quocunque principio iustitiæ cardinali competit esse iustitiam particularem, ex eodem proportionate competit illi esse virtutem specialem. Ergo, si non competit illi esse virtutem specialem, nec competit esse virtutem particularem. Antecedens probatur. Ex termino, qui est, alter particulariter, competit illi esse particularem virtutem. Ergo, & esse virtutem specialem: nec enim est major ratio unius, quam alterius. Exinde, id etiam colligi potest, quia numerando singulas virtutes cardinales, nullius illarum habet motivum: nam nec respicit motivum dirigendi sese ad regulam rationis, hæc & nunc, quam honestatem respicit prudentia; nec respicit honestatem adversa superandi, quod est proprium fortitudinis; nec respicit honestatem refrenandi appetitum a delectationibus sensualibus, sed honestatem æqualitatis ad ius particularis. Ergo, apparet habere illam proprium & speciale motivum.

PROBATUR 3. Si iustitia Particularis non esset virtus specialis, nemo prodigalis v. g. posset esse iustus, vel cujusunque alius virtutis defectum habens, Seq. probatur; quia virtus generalis debet omnes virtutes complecti: Sicut enim non est ro. si vel una desit unitas, sic etiam non erit generalis virtus si vel una desit: & tamen experimur malos in aliis generibus, in genere iustitiæ, & additionis alieni, bonos esse.

DICES. Saltem hoc sensu, iustitia particularis non est specialis virtus: quia non habet motivum distinctum ab aliis. Quod ipsum probatur; quia motivum illius coincidit cum absoluta ratione, & completa honestatis inclusæ in virtute Religionis. Quod ipsum probatur; quia Religio tribuit Deo ius suum, honorando eundem; completè autem honorari non potest, nisi honoretur etiam, prout est mandans, inter mandata autem ejus, est tribuere unicuique ius suum. Ergo hoc tribuere, spectabit ad virtutem Religionis. Idemque Argumentum, mutatis terminis, probabit, quod ab obedientia non distinguatur iustitia; quia obedientia mandat unicuique suum ius tribui.

RESPON-

RESPONDETUR. Si sumatur Religio, & obedientia, secundum rationem suam completam: hoc est, secundum vim imperandi, sic extendunt se ad æqualitatem Iustitalem. Nam una virtus potest imperare aliam. Cæterum, si completè Religio, & Obedientia sumantur, secundum vim eliciendi actus æquales Juri alterius, & secundum præcisam attendentiam ad æqualitatem, sic, non se extendunt ad actus Iustitiæ, & objectum: sed ipsam æqualitatem, a se sibi ratione restringunt; nempe, quia æqualitate v.g. colitur Deus, consequenter dant locum speciali virtuti ad attendendum æqualitatem Iustitiam: ad eum modum, quo, quia Rectificabilitatem operationum restringit Physica, per vitalitatem, dat locum speciali habitui Logice, attendendi ad præcisam illarum Rectificabilitatem. Quæ omnia infundantur in hoc principio. Habitus & virtutes in tantum multiplicari possunt, in quantum ipsa objecta, & motiva possunt habere specialitatem suam, in qua listi præcisè possit. Idque probat inductio, & præter inductionem, hæc Ratio: Quia cum virtutes, & habitus objecto & motivo specificentur, sicut datur specialitas motivi, in quo præcisè stari possit; ita debet dari habitus & virtus specialis, cum secundum numerum motivorum & objectorum, tanquam specificativorum, sit etiam numerus habituum & virtutum; ad eum modum, quo, quot sunt differentiæ animalis, tot sunt species animalium. Et sicut animal, quod est de se Ratio Communis, attendit non nisi ad totitatem differentiarum, & secundum illas se multiplicat; ita virtus & habitus, quæ sunt rationes communes, attendunt ad totitatem objecti & motivi, & secundum illam, se multiplicant.

Punctum Difficultatis 2.

An etiam Iustitia Generalis, sic virtus specialis?

DICENDUM est. Iustitiam Legalem, seu generalem, esse specialem virtutem. Ut intentionem Conclusionis probetur, repetatur explicatio hujus ipsius termini, Iustitia Generalis, ex supra dictis, ex S. Thom. hic q. 58. a. 6. in Corpore. In hocque ratio hujus Iustitiæ Legalis stat, quod est, respicere Jus Communitatis, v.g. Patriæ, quæ talis: & insuper, ita proponitur.

Generale dicitur aliquid dupliciter. Generale Logice seu per prædicationem, sicut animal est generale ad hominem & equum, & ad alia hujusmodi: quia verò dici sequitur ad esse, licet magis notificetur per dici, sit, ut detur generale aliquid in essendo, quale est ipsum animal ut sic, homo ut sic, &c. similia. Hæcque duo per modum unius generalis sumuntur, sicut ipsum esse & dici, & sicut ipsum esse, intelligi. Secundo, est aliquid generale secundum virtutem, sicut

causa universalis: est generalis ad omnes suos effectus, ut, Sol ad omnia corpora, quæ illuminantur, vel immutantur per virtutem illius. Si comparentur hi duo modi generalitatis inter se, prima generalitas, non distinguitur ab his, quorum generalitas non distinguitur physicè: Genus enim pertinet ad essentiam speciei: in qua quia, identificantur genus & differentia, sit, ut generalitas illa, non distingatur physicè ab iis, quorum generalitas est. Quia verò Iustitia non se habet, ut genus ad alias virtutes v. g. Religionem, Prudentiam, &c. similia, sit, ut ex hoc capite, non possit dici habere indistinguibilitatem suam physicam à reliquis virtutibus; tribuitur tamen illi generalitas secundum virtutem: quia etiam illa ordinat actus, aliarum virtutum in suum finem. Sed hæc generalitas, non arguit indistinctionem illius à cæteris virtutibus: quia generale secundum virtutem, non est idem in essentia cum his, ad quæ est generale: quia non est eadem essentia causæ & effectus.

Quia verò finis iustitiæ generalis, est bonum commune: videndi sunt adhuc modi hujus ipsius ordinis: qui quidem modus, duplex est: Nam aliqua ita ordinantur ad bonum commune, ut actus aliquo modo non nisi ad illud ordinentur; & sic, bonum est communitatis etiam prudentia, & temperantia subditorum, &c. Et si proportionaliter ordinata virtute ad bonum communitatis acciperetur iustitia, non distingueretur ab aliis virtutibus.

Deinde, ita aliqua ordinantur ad bonum commune, ut illud per se, & quæ tale respiciant, attendendo ad Jus quæ tale communitatis, & hoc est Iustitia illa Legalis, vel generalis, quam esse specialem virtutem.

PROBATUR I. Auctoritate Aristotelis 5. Eth. 1. ubi ita loquitur. *Ob id autem ipsum, & aliorum bonum, ipsa sola iustitia ex omnibus virtutibus, & habetur, & est, cum sit ad alium. Agit enim ea, quæ alii vel Principi vel Reipublicæ conferunt.* Ubi vult Iustitiam esse ex virtutibus unam, & quidem Iustitiam legalem: quia conducentem bono Reipub: & paulo ante, cum posuisset Iustitiam esse virtutem perfectam non absolute tamen, sed ad alterum, addit adhuc illam esse præstantissimam virtutem. *Complures enim in propriis quidem uti virtute possunt, sed in iis, quæ sunt ad alium, nequeunt.* Et propterea sententia Aristotis illa bene se se habet: *Magistratus Virum ostendit. Ad alium enim est, & in societate, jam ipse magistratus consistit.* Ubi Arist. virtutem, societatem, seu bonum commune respicientem, appellat perfectissimam virtutem. Tertio etiam Polit. c. 3. ait, *quod non sit simpliciter eadem virtus boni viri, & boni civis.* Subsumit S. Thomas, cit. *Sed virtus boni civis est Iustitia generalis, per quam aliquis ordinatur ad bonum commune.* Ergo non est eadem Iustitia generalis cum virtute communi.

R. P.
TH. MLOD
ZIA
Tom 3. c. 4.
D. VI
6